

P R Æ F A T I O.

ætas dicatur legaliter, Justinianus definit *l. ult. C. de his qui ven. æt.* Quamobrem JCtum oportet & Grammaticum esse, atq; proprias vocum significationes callere, sed & Jurisperitum, h. e. callentem quoque significationum juris. Ipsos LLatores circa hanc rem maximè necessariam occupatos cernimus. Imperator noster Justinianus in utroque & Pandectarum opere & Codice suo peculiare titulos huic argumento sacravit. Idem & Pontifices summi imitati.

Inter JCtos verò Romanos quò quisque accuratior, ita eò ad verborum significationem intentior fuit. Libros de rerum verborumq; veterum significatione Phavorinus apud Agellium *l. 13. c. 23.* laudat, indèq; differentiam *Prædæ & Manubiarum* explicat. Antistius Labeo, etsi juris civilis disciplinam principali studio exercuit, tamen & in Grammaticam sese atq; dialecticam literasq; antiquiores altioresq; penetravit, Latinarumq; vocum origines rationesq; percalluit, eaq; præcipuè scientiâ ad enodandos plerosq; juris laqueos utebatur, ut idem Gellius de ipso testatur *d. l. c. 10.* Qui & *l. 17. c. 6.* Verrii Flaccii librum *de obscuris Catonis* allegat, quem Macrobius Juris Pontificii peritissimum laudat, *l. 1. Saturn. c. 15.* Quanquam eum Gellius in interpretatione
 vocis